

No. 119. 1239. 27. Sept.

B. Heinrich beurkundet eine Stiftung des Domherrn Eberhard für die Vicarie des h. Nikolaus in der Domkirche.

Heinricus miseratione divina Misnensis episcopus. Universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis notum esse volumus, quod quatuor mansos in villa Bizcopiz^a) sitos, quos de manu nostra Vlricus miles de Nozzin in feodo habuit, pro XL marcis redemimus de pecunia concanonici nostri domini Eberhardi, et eosdem mansos de consensu capituli Misnensis contulimus canonico memorato cum omni iuris plenitudine et omni prorsus utilitate, quae nunc eis inest et ex eis provenire poterit in futurum, ita ut in ecclesia Misnensi pro salute sua et suorum, ad honorem domini Jhesu Christi et piaie genitricis eius Mariae perpetuae virginis, sanctique Nicolai venerabilis confessoris ex eisdem mansis ordinet, quicquid inspiraverit ei deus. Cuius ordinatio talis est: De preventibus dictorum quatuor mansorum, qui in villa Bizcopiz siti sunt, assignavit dictus Eberhardus canonicus Misnensis quatuor talenta ad vicariam beati Nicolai, ut inde vicarius sustentatus choro Misnensi deserviat in ordine vicis suae. Idem etiam vel quilibet successor ipsius tenetur gerere vices domini Eberhardi canonici Misnensis in choro temporibus vitae suae, post cuius obitum tum ad capitulum respectum habebit. Celebrabit quoque dictus vicarius tres missas qualibet septimana, unam pro salute vivorum, aliam pro salute fidelium defunctorum, tertiam in honore beatae Mariae virginis perpetuae genitricis domini nostri Jhesu Christi, devote ac fideliter oraturus pro salute Misnensis capituli et pro salute vivorum ac mortuorum omnium, qui ecclesiae Misnensi suis elemosinis succurrerunt. Praeterea instituit saepedictus canonicus, ut vicarius ille in anniversario domini Alberti de Prittin de supradictis mansis X solidos distribuat in hunc modum: Octavum dimidium solidum dabit canonicis, unum solidum hospitali, unum denarium offeret ad missam, quae celebrabitur pro defuncto, duos dabit campanatori, quindecim pro panibus, quos distribuet pauperibus die illa. Ne igitur ordinatio haec ad laudem dei et ad honorem ecclesiae nostrae facta processu temporis oblivioni deleri, vel malorum ingenio in irritum valeat revocari, praesentem paginam inde conscriptam sigilli nostri fecimus impressione muniri. Acta sunt haec praesentibus viris honorabilibus ecclesiae nostrae Heidenrico praeposito, Petro decano, Sifrido de Pigauia, Nicolao praeposito Budesinensi, Alberto praeposito de Indagine, magistro Walthero canonico Misnensi et aliis quam pluribus. Anno incarnationis dominicae M°. CC°. XXX°. IX°. quinto Kal. Octobris pontificatus nostri anno X°.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; das Siegel ist an einem von der Urkunde selbst z. Thl. ab-geschnittenen Pergamentstreifen befestigt.

a) Piskowitz, Par. Taubenheim.